



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 An aqua elementaris materia Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Ad tertium dicendum, quod aqua fluens de latere Christi pendens in cruce, non fuit humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt. In tali enim humore non posset fieri Baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut quocumque liquore alienius plantae. Fuit autem aqua pura, miraculose egrediens à corpore mortuo, sicut & sanguis, ad comprobendam veritatem Domini corporis, contra Manichaeorum errorem: ut scilicet per aquam (quae est vnus quatuor elementorum) ostenderetur corpus Christi vere fuisse compositum ex quatuor elementis: per sanguinem vero ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.

Ad quartum dicendum, quod in luxuro, & in aquis sulphureorum balnearum, potest fieri Baptismus, quia tales aquae non incorporantur per artem vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quandam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora.

Ad quintum dicendum, quod aqua rosacea est liquor rosa resolutus. Vnde in ea non potest fieri Baptismus, & eadem ratione, nec in aquis alchymicis, sicut nec in vino. Nec est eadem ratio de aquis pluvialibus, quae generantur ex maiori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis. Minimum autem est ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui tamen per huiusmodi sublimationem virtute naturae, quae est fortior arte, resoluuntur in veram aquam: quod ars facere non potest. Vnde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti, quod de aquis rosaceis & aquis alchymicis dici non potest.

Litera Diui Thomae est clara, & in disputatione sequenti melius res tota explicabitur.

DISPUTATIO XX.

De materia Baptismi.

Materia alia proxima, alia remota.



In sacramentis, quae consistunt in vfu, duplex potest distingui materia, vna remota & altera proxima. Remota dicitur elementum illud, quod in vfu sacramenti vtendum est. Proxima vero ille vfus elementi, qui ad conficiendum sacramentum est necessarius. D. Thomae ergo in his articulis egit de materia remota Baptismi, de proxima vero nonnulla attigit inferius art. 7. & 8. ut vero rem totam breuiter, & ordinate complectamur, vtramque partem in praesenti disputatione expediemus.

SECTIO I.

Vtrum aqua simplex & elementaris sit materia remota Baptismi.

Primum Gnostici error. Irenaeus: August. Euthym.

Nonnulli ex antiquis haereticis, qui dicti sunt Gnostici, negarunt aquam sensibilem esse necessariam ad Baptismum conficiendum. Ita refert Irenaeus lib. 1. cont. haeres. c. 18. Quem errorem sequuti sunt Manichaei, teste Aug. haeres. 46. & Seleuciani apud Euthym. 2. part. Panopl. tit. 21. quos refert solis verbis baptizasse. Referunt etiam moderni scriptores aliquos ex nouatoribus haereticis hunc errorem excitasse. Qui omnes consequenter asserunt, in illis verbis Christi Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, aquam metaphorice sumi, fortasse pro illa aqua, de qua dicit idem Christus statim. c. 4. Qui biberit ex aqua: quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam, & Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam: quibus locis aqua, gratiam significat. Vel aliter, vt Valdeni refert, to. 2. de sacram. c. 101. dixit Vvicleph, aquam ibi significare passionem Christi propter aquam, quae exiit de latere Christi pendens in cruce. Quae interpretatio confirmari potest à simili ex Matth. 3. vbi Ioan. Baptista de Christo ait, Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne, vbi necesse est, ignem metaphorice sumi: ergo eadem ratione poterit aqua metaphorice sumi in prioribus verbis Christi.

Lac. bitarij error.

Secunda haeresis ex his eisdem verbis Matth. exor-

ta, asseruit, materiam Baptismi esse ignem. Ita fenserunt Iacobitae, qui candenti ferro characterem crucis baptizatorum frontibus inurebant, vt referunt Prateolus verbo Iacobitae, & Sander. l. 7. de vitib. Monarth. haeres. 113. Non videtur autem hi haereticis negasse materiam aquam, sed cum illa igne coniunxisse, fortasse vt vtrumque locum scripturae proprie intelligerent.

Tertiam haeresim referunt Castro verbo, Baptismus, haeres. 12. & Prateol. verbo, Flagellantes, negantem, iam nunc Baptismum esse, ex aqua conficiendum, sed ex proprio sanguine flagellis ex proprio corpore excusio: & ideo sectatores huius haeresis, Flagellantes dicti sunt, quia passim oberrabant, seipfos, virgis ac nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant concidentibus. Quis autem eorum primus author fuerit, ignoratur, sicut etiam vix cogitari potest, quod fundamento moti fuerint ad errorem adeo perniciosum contingendum, tamque crudelem Baptismum introducendum. Quod enim Castro refert, eos motos esse quadam Allegoria, scilicet, quia quando Christus aquam in vinum conuertit, significauit fore aliquam in Ecclesia Baptismum aquae in Baptismum sanguinis commutandum, hoc (inquam) ridiculum est, quia haec Allegoria & fundamentum non habet, & repugnat legi à Christo latae. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua: & illi. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Quae lex perpetuo vsque ad consummationem saeculi duratura est, sicut Ecclesia, & Euangelium quod Christus eodem loco (vt alia omittam) subiunctis verbis significauit, dicens. Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem saeculi.

Dico ergo primo, aquam veram ac sensibilem, esse propriam materiam remotam, & essentialem sacramenti Baptismi. Est de hie, & definitur in Con. Lateran. c. 21. in c. firmiter, de sum. Trim. Con. Flo. in decreto Eugen. & Con. Trident. sess. 7. can. 2. de Baptismo. Ex probatur simul ex scriptura adiuncta Patrum expositione & traditione. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. In quibus, verbis, aqua proprie, & non metaphorice sumi, constat primo, ex generali regula interpretandi scripturam: nimirum, quod proprietates verborum seruanda sit, vbi, aut euidentis necessitas non cogit metaphorice interpretari: aut sufficiens auctoritas non obligat, vel saltem facultatem non concedit ita interpretandi: alias nihil firmum & stabile possemus ex scripturis habere: hoc autem maxime necessarium est in illis locis, in quibus, vel praecipua traduntur, vel instituantur sacramenta, quae sunt & animarum medicinae, & Ecclesiae fundamenta.

Secundo idem constat ex aliis scripturae locis. Vnus est Matthaei vltimo. Baptizantes eos in nomine Patris, & c. Dicitur fortasse, etiam ibi sumi metaphorice, & spiritaliter, sicut Isai. 1. Lauamini, mundestote, sed hoc non potest praecipio Christi accomodari. Mundabat enim Apostolis actionem aliquam ab eis circa alios corporaliter, & sensibilibiter exercendam: loquebatur ergo proprie de Baptismo sensibili, qui in aqua fit, quem vox Graeca Baptizo, proprie significat. Quam proprietatem & veritatem ipse vfu paulo post Apostoli declararunt, nam Acto. 2. eos baptizabant, qui per verbum eorum ad fidem conuertebantur, vbi baptizare, non potest significare solum praedicationem, seu aliquam spiritualem actionem. Clarius vero Acto. 8. postquam Philippus Eunuchum catechizauerat: Dum irent per viam, venterunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari. Intellexerat ergo Baptismum in aqua sensibili sibi esse necessarium. Quam intelligentiam vera esse confirmauit Philippus dicens. Si credis ex toto corde, licet: & infra. Descenderit vterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum. Similis locus euidentis est Acto. 10. vt notauit Chryl. Ho. 24. in Ioan. vbi Petrus dixit. Nihil quid aquam quis prohibere potest, vt non baptizetur hi, qui Spiritu S. accepti sicut & nos? Rursus ex c. 19. sumitur manifestum argu-

argumentum. Cum enim Paulus veniret Ephesum, interrogavit discipulos, quos ibi invenit: In quo baptizati estis? quibus respondentes, In Joannis baptizate, Paulus fecit eos baptizari Baptismo Christi. Ergo satis aperte significatur, Baptismum Christi & Joannis convenire, in vera & propria ratione Baptismatis aquae, quamvis differat in forma, & in spiritu. Denique hoc aperte confirmant verba Pauli ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquae in verbo vitae.

Ad Ephes. 5.

Probat.

Nazian.

N. S. Tertull.

Aug.

Ambr.

Cyprian.

Orig.

Cyprian. Hier.

Chryf.

Quarta.

Cyprian.

Hieron.

Cyrl.

Basil.

Iren.

Innoc. 3.

Probat.

D. Tho. Cyr.

Chryf.

Conclus.

reliqui Theologi in 4. d. 3. Marfil. q. 3. art. 2. Ex quibus advertendum est, in primis necessarium esse, ut aqua retineat substantiam elementi aquae. Nam haec est, quae proprie simpliciter aqua vocatur: & haec est propria aqua v'sualis, qua homines ad ablundum corpus v'tuntur. Et ideo in hac baptizatus fuit Christus eamque suo tactu sanctificavit. Haec denique exiit de latere eius ad significandum hoc sacramentum, ut Innocentius supra citatus definiuit. Atque hinc fit aquas artificiales, quae ex floribus seu herbis stillantur, non esse materiam huius sacramenti, quia non sunt verae aquae elementares, sed mixti quidam humores, atque eadem est ratio de lachrymis, salina, & aliis huiusmodi rebus, quae eodem titulo excluduntur, ut esse non possint materia Baptismi. Neque oportet minutiore quae ratione de huiusmodi rebus, & materiis figillatim discutere: neque etiam philosophicam quaestionem tractare, an in aqua elementari & v'suali, sit interdum essentialis diversitas, quia & reuera nulla est, & praeterea ad sacramentalem v'sum satis constat, quoniam aqua fit naturalis, & v'sualis: omnis autem illa est sufficiens materia Baptismi quacumque qualitate affecta sit. Vnde fit, non referre ad huiusmodi materiam, quod sit calida aut frigida, aut quod per sulphureos meatus tranferat, aut per cineres, quae lixivium dicitur. Quinimo, licet permixta sit, cum alia substantia & corpore, dummodo non sit tanta permixtio, quae reuera mutet, seu impedit v'sum aquae, erit sufficiens materia: ut si sit aqua turbida, pulueris, aut terrae permixtionem aliquam habens, vel si in ea caro fuerit decocta, & succo eius admixta in parua quantitate, nam si sit magna, potius erit lutum, aut substantia alia mixta, quam aqua. Denique in huiusmodi rebus servanda est generalis regula supra tradita, ut semper adhibeatur materia pura, quoad fieri possit: servatis Ecclesiae ritibus, & caeremonijs, nam hoc spectat ad reuerentiam sacramenti, & ad eius certitudinem.

Innocent.

Exponitur

locus Mat. 3.

Mat. 3. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igne.

Ipse vos baptizabit in

Quia & circumstantia litterae id postulat, & Patres spiritu sancto

in hoc consentiunt: quamvis in sensu verborum ex-

to cognoscitur.

1. Expositio.

Abor. 1.

Hier. De

Cyri. Hier.

Rajicium

2. Expositio.

Hilar. Cyr.

Et alii. Par-

vicula Mat.



Et igni, uario exponitur Anselm.

Chrysol.

Beda.

Hieroz.

Exponitur autem illa particula varijs modis, Anselmus per illam particulam, & igne, intelligit metaphorice significari Sacramentum Confirmationis, quod est veluti consummatio Baptismatis Christi, & in eo datur plenitudo Spiritus sancti, & ideo ab effectu metaphorice, significatur per ignem: quia Spiritus sanctus ignis consumens est. Chrysolomus vero intelligit idem significari nomine, ignis, quod nomine Spiritus sancti, sed illa repetitione & metaphorica significatione ait indicatam esse abundantiam gratiae baptismalis, & efficaciam eius, quia & animam sanctificat, & sordes eius consumit, & vim bene operandi praestat. Beda vero & alij, per ignem, intelligunt, vel poenitentiam, vel tribulationes huius vitae, vel quaecunque alia remedia, per quae Christus purificat animam baptizatam, à maculis & peccatis post Baptismum commissis. Itavt sensus sit: ipse vos in Spiritu sancto baptizabit, & si opus postea fuerit, etiam igne purgabit. Hieron. vero per ignem intelligit ignem purgatorij, quo Christus in futuro saeculo purgabit suos electos. Quae expositio non displicet Bedae, & alijs: & idem fortasse est sensus Hieron. c. 2. in Matt. qui de igne iudicij vltimi, hoc interpretatur: potest autem intelligi, tam de igne iudicij vniuersalis, quam particularis vniuersiulq. Et videtur satis contentanea verbis proxime sequentibus. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam. Vnde haec expositio vltima est satis probabilis, iuxta quam non oportet priora verba ad Sacramentum Baptismi coartare: sed simpliciter ea intelligere de omni sanctificatione spirituali, quae per Christum in hac vita confertur: ita vt sensus sit, ipse vobis remittet peccata in hac vita, & spiritum liberaliter dabit, & Spiritus sancti gratijs inundabit (vt ait Theophyl.) in futura vero etiam igne purgabit, scilicet si opus fuerit. Et iuxta hanc expositionem metaphoram illorum verborum potius nota est in verbo Baptizo, quam in voce ignis, quia non significat corporalem abluitionem, sed animae emundationem, quae per huiusmodi Baptismum significari solet. Siue autem metaphora ponatur in vna, siue in alia voce, nihil est, quod miremur, quod vox Aqua, vel Baptismus, seu Baptizo, in alijs locis proprie sumenda sit, in hoc vero vox Ignis, aut verbum Baptizandi, metaphorice sumantur: quia ratio diuersorum locorum & rerum hoc postulat, & Ecclesiae, ac Patrum traditio & expositio id confirmat.

SECTIO II.

Virum ablutio aqua sit proxima materia Baptismi?

EX dictis in praecedenti sectione satis constat, quid in hac dicendum sit. Docent enim omnes Theologi, abluitionem esse materiam huius Sacramenti, quod de materia proxima necessario intelligendum est. Et haec est mens D. Thomae, in his articulis, & in 4. dist. 3. q. 1. ar. 1. quaestiu. 1. & 2. vbi idem docet Magister, & Scot. q. 3. Richard. art. 1. q. 1. Palud. q. 3. & reliqui. Et sumitur ex verbis Christi, Matt. vlt. Baptizantes eos in nomina Patris, &c. Et ex illis Pauli ad Eph. 5. Mundans eam lauacro aquae in verbo vitae. Idem enim est lauacrum, quod Baptismus: & lauacro tribuitur animae mundatio, eaque materiae proxima huius Sacramenti. Vnde Aug. tract. 15. in Ioan. Quid (inquit) est Baptismus Christi? Lauacrum aquae in verbo. Ratione probatur facile, nam aqua est materia remota, cum enim hoc Sacramentum non sit permanens, sed in vsu consistat, non potest aqua per se sumpta esse materia proxima Sacramenti: quia vt sic, & quiescens manens (vt sic dicam) nec significat, nec est instrumentum gratiae conferendae: ergo materia proxima consistet in aliquo vsu aquae: sed non in alio, nisi in abluitione, vt constat ex verbis scripturae citatis, & ex vsu & traditione Ecclesiae: ergo.

Atq. hinc obiter colligitur, vt aqua sit conueniens

materia Baptismi, necessarium esse, vt sit in ea dispositio, in qua possit ad abluitionem deferuire, & ideo si congelata sit, & facta glacies, aut nix, vel aliquid simile (quidquid sit de quaestione philosophica, an tunc sit substantiialiter aqua, nec ne) donec aliquantulum liquefiat, aptaq. ad abluitionem reddatur, non posse esse huius Sacramenti materiam: cum non valeat applicari ad illum vsum, in quo proxima materia huius Sacramenti consistit.

Sed explicandum superest, quid sit, seu in quo formaliter consistat haec ablutio: Soto enim in 4. d. 3. ar. 1. dicit consistere in passione, seu receptione aquae in corpore hominis baptizati, nam aqua vt sic recepta, ordinatur ad sanctificationem animae: ergo ipsa receptio est proximum instrumentum sanctificationis: ergo est materia proxima Sacramenti. Vnde concludit, hanc abluitionem in passione consistere. Et in hanc sententiam citat Scotum, & Rich. At vero Scot. ibi. q. 3. potius sentit abluitionem consistere in actione, quia Sacramentum est actio sacra ipsius ministri: ergo & Baptismus ex parte materiae proxime erit actio, vt facta à ministro: Richard. autem ibid. art. 1. q. 2. sentit, abluitionem, vt iamque rationem, actionis & passionis includere: sicut iustificatio & ablutio interior, quae per exteriorem significatur & efficitur, vt trumque requirit, scilicet infusionem, & receptionem gratiae.

Ego sentio, ad rem Theologicam, quaestionem esse parum momenti & vilitatis. Si tamen physice velimus rem perpendere: dicendum est, in rigore rullam physicam passionem requiri in corpore baptizati, vt fiat ablutio ad Baptismum necessaria: requiri vero physicum contactum aquae ad corpus baptizati, cum quadam successione, seu successiuu effusione partium aquae per partes corporis. Hoc ita declaro, nam in primis, quod requiratur contactus, certum est ex ipsa vocis significatione. Nemo enim vnquam dixit, aquam, quae non tangit corpus, abluere illud, & ideo solet interdum à Patribus haec ablutio vocari rinctio seu tactus, aut contactus aq. Deinde, q. si etiam necessaria motio per corpus seu successiuus contactus, constat etiam ex significatione vocis & communi modo concipiendi omnium. Aqua enim in vase existens propter solum contactum, non dicitur abluere illud, oportet ergo, vt per corpus diffundantur, & successiuè contingat, vt bene Scotus notauit. Vnde fieri potest, vt illa motione, atque adeo abluitione finita aliqua pars aquae adhaereat corpori, & contingat illud, cum tamen iam illud non abluat: ergo ablutio non consistit in quolibet contactu, sed oportet, vt sit in fieri: & ideo necesse est, vt successiuè fiat, saltem physice, & naturaliter loquendo, quia per motum localem fit. Dico autem naturaliter loquendo, quia fingi potest, quod ille contactus fiat in vno instante terminante motum localem aquae ad corp., ita vt in eodem instante plures partes aquae perueniant ad contingendas plures partes corporis, & tunc ille contactus sine dubio sufficeret ad abluitionem, & ad hoc, vt in eodem instante perficeretur Sacramentum. Sed huiusmodi casus non sunt morales, & ideo absolute dici potest, requiri contactum successiuum, prout naturaliter fieri potest. Adde, necessarium etià esse, vt hic contactus fiat per corpus liquidum, nam gelu, verbi gratia, non potest abluere, quia est corpus durum, licet possint paulatim contingere corpus, necessarium ergo est, vt fiat contactus cum quadam facili diuisione corporis abluentis, ita vt facile cedat ad contactum alterius. Et ideo oportet, vt tale corpus sit liquidum: quod totum ex ipso vsu vocum & experientia constat.

Et declarari potest ex fine abluitionis corporalis, ordinatur enim ad mundandū corpus, & tollendas sordes eius, & ideo oportet, vt fiat per corpus liquidum: quod sicut facile diuiditur, ita facile subintrat per partes alterius corporis, quod abluat. Oportet autem

Magister. Scotus. Richard. Palud. Matt. vlt. Ad Eph. 5.

August.

Ratio.